

pleat Capitulum, quod est inferior; Verum loquitur textus id servandum, ubi immemorabilis esset consuetudo, ut habetur in *c. Vultarana* in 2. parte de elect., & in *c. ea noscitur* in fine, de iis quæ sunt à Prælati sine consensu Capituli, quod notavit gloss. in *c. nulla* in V. spec. Etat de concess. præb.

ARTICULUS XVII.

An ex sola negligentia inferioris devolvat iurisdictionem ad Superiorem.

Uæstio est, utrum ex sola negligentia devolvat causa ad Superiorem, nam gloss. affirmat in *c. Pastoralis* in V. exceptis de officio Ordinarii, & in *c. irrefragabili* in V. Capitulum, & in *summa* in V. quod autem, ibi, item cum suffraganeus est negligens 9. q. 3., allegat. *c. simus* 9. q. 3., *c. cum per tuas* de sent. excomm., *c. qua fronte* de appellat., *Ancharan* in *c. 1. sub num. 1. de supplenda negl. Prælat.*, ubi, & *Dominicus à S. Geminiano sub num. 5.*, *Azor. p. 2. instit. moral. lib. 3. c. 34. q. 10. Vers. Quæres, post Abbatem* in *c. ex frequentibus* de Instit., exceptis tamen in delictis, nisi delicta notoria sint, Quorum sententia fundatur in eo, quod allegati canones, alique allegabiles, frequenter dicunt ex negligentia inferiorum iurisdictionem devolvere ad Superiorem.

Ratio est, quia titulus de supplenda negligentia Prælat. generalis est, & ea quæ ponuntur sub eo exempla, sunt declarantia, non restringentia; tum quia ratio supplendi negligentiam generalis est, ut scilicet utilitati Ecclesiarum, & subditorum consulatur, ne ex negligentia Episcopi, aut alterius Iudicis damnum accipiant.

2 Verum *Barbosa* in *c. 1. de supplenda negl. Prælat. num. 9. in 6.*, post *Abbatem* in *c. si quis contra num. 4. de foro comp.*, & in *c. Pastoralis num. 10. de off. Ord.*, *Archid.*, aliosque ibi allegatos, sentit, quod non possit poni pro regula, quod ex sola negligentia, iurisdictionem inferiorum devolvat ad Superiorem, ex eo, quia hoc non habetur in iure cautum, erubescimus autem sine lege loqui, qua propter *Gaill. lib. 1. observat. 28. num. 3.*, dicit devolvere per appellationem, non à denegata iustitia, sed ob negligentiam Iudicis, ubi quod tunc assignatur terminus, infra quem iustitiam faciat, alias devolvat iurisdictionem, vel sub pœna, quo

termino elapso, ad pœnam proceditur.

3 Ad tex. autem pro prima sententia relatos respondit *Barbosa*, quod ij militat in casibus, in quibus loquuntur; sed non faciunt regulam generalem, cum nullus tex. habeatur, qui pro regula generaliter loquatur, idem *Clement. 1. de celebratione miss.*, quæ propter negligentiam Rectoris, qui deberet omnimodo curare, ut Ecclesiarum ministri in Ecclesia in Choro, in cemeteriis abjectis vanitatibus, scurilibus, immodestis, inhonestis actionibus, locutionibus &c. Divina officia attentè, & devotè perfolverent, devolvit iurisdictionem ad Ordinarios, quo ad non exemptos, quo verò ad exemptos ad eorum Superiores, ita in hoc præciso casu militare dicit, nec facere regulam generalem.

4 Sicut *Trid. sess. 23. c. 18. de reform. vers. (quod si Cathedralium)* ubi, quod si Prælati Cathedralium, vel aliarum majorum Ecclesiarum in Seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, Episcopum, Archiepiscopum, & Superiores, Synodus provincialis acriter corripere, eosque ad omnia supradicta cogere debeat &c. quod pariter in hoc tantum casu disponit, non autem generaliter.

5 *Tex. in c. Romana* §. sanè vers. (Notoria verò de censibus in 6. disponit, quod Archiepiscopus visitando Provincias, si notoria crimina invenerit, quæ non indigeant examinatione, cum super his meritò notari possit Ordinariorum negligentia, liberè corrigat, pœnam pro illis debitam infligendo) hic etiam ex sola negligentia sine ulla appellatione devolvitur iurisdictionem, sed in casu expresso, propter notoreitatem, & in actu visitationis tantum.

6 *Tex. in c. venerabilibus* §. sanè de sententia excomm. in 6. loquitur in casu quo excommunica-

municator malitiosè negligit, & denegat absolvere excommunicatum, & tunc Superior iudex poterit eundem excommunicatum absolvere, constituto solum de negligentia, & de denegata absolutione, sicque iurisdictionem devolvit absque appellatione interposita.

7 Similis est casus in *c. ad reprimendam* §. tu verò frater de off. ordinarii, tunc scilicet Archiepiscopum posse absolvere excommunicatum ab Episcopo, quando Episcopus nolit eum absolvere, sicque in suo tantum casu militat; Ita in *c. significavit de officio Ordinarii* dicitur, quod si ex desidia, vel malitia Iudicis delegati Papæ, quis perseveret in peccato, Ordinarius loci potest iurisdictionem supplere, non obstante commissione facta delegato, ubi notatur, quod totta ratio cur Ordinarius suppleat iurisdictionem delegati, est, ne quis perseveret in peccato propter desidiam Iudicis delegati; In *c. Quanto eod. tit. de officio Ord. Ordinarius* supplet negligentiam Abbatis non revocantis Monachum vagabundum ad claustra, sicut, & supplet quando Superior Regulari instante Episcopo in termino assignato non punit Religiosum, qui deliquit extra claustra, ipse enim Episcopus illum delinquentem punire poterit ex *Trid. sess. 25. c. 14. Ubi Barbosa num. 10.*, refert D.D. inquirentes, an possit Episcopus in eo casu imponere censuras,

& pro utraque parte allegat Doctores.

8 In *c. ex tenore, c. licet ex suscepto, c. ex transmissa*, casus etiam speciales sunt, & Pontifex committit causam, in defectu Iudicis laici, ad instantiam partis, quæ recursum habuit, quod & notatur in *c. excommunicamus* §. volumus de hæreticis, ubi quod si Episcopus sit negligens purgare Civitatem sibi commissam ab hæresi, de tali negligentia per alium idoneum suppletur, quod est specialiter dispositum favore fidei, ita *c. cum scimus* q. 3. in quo, potissimum se fundant auctores primæ sententiæ, loquitur in casu speciali de æconomio deputato, & sic *Auth. de questore vers. si verò* disponit pariter in casu speciali de exteris, qui ad Urbem Constantinopolitanam accedunt iudicii causa, ne scilicet expensis præmantur, diuturna litis protractione fatigentur, disponit Imperator, quod primò Iudice negligente, alius secundum ordinem positum suppleat, omnes ergo tex. loquuntur in casu speciali, nec constituunt regulam extralium, attamen auctores primæ sententiæ possent respondere, quod tot sunt textus concedentes, quod propter solam negligentiam intret devolutio, & in tot casibus, ut meritò, ex iisdem cumulatis possit colligi regula, ne plures sint fallentiæ, quàm casus regulæ.

ARTICULUS XVIII.

An Iudex Laicus in aliquo casu suppleat Negligentiam Iudicis Ecclesiastici.

Solet disputari à D.D. an Laicus Iudex suppleat pro Ecclesiastico negligente, & licet certa fit sententia, quod non suppleat, eo quia Laicus nec habet, nec capax est habere iurisdictionem spirituales, seu in spiritualibus, sive rebus, sive personis; *Torreblanca de Magia lib. 3. c. 27. num. 24.*, & latè examinat *Carolus de Grassis de effectibus Clericatus effect. 1. num. 390.*; ita ut neque consuetudine fieri possit, ut Laicus aquirat hanc iurisdictionem, ut ibi à nu. 380., & seqq., ubi num. 19. dixerat, quod neque ex commissione Papæ, quia hæc Clericorum exemptio à potestate laica est de Jure Divino;

Ansaldo. de iurisdictione p. 3. tit. unico c. 21., *Azorius p. 1. instit. moral. lib. 5. c. 14. quest. 2.*, *Spere. decif. 126. num. 48. ubi num. 51. reddit rationem*; *Tuscus præct. concl. juris in Vers. negligentia concl. 35. num. 14.*, *Aufreer. in Clem. 1. de off. ordin. num. 67.*, & seqq., & in bulla cenzæ excommunicantur quicumque trahentes personas Ecclesiasticas ad laica tribunalia, Quod autem hæc exemptio sit de Jure Divino; videndi sunt D.D. allegati per *Dianam*, quos sequitur *p. 1. tract. 2. resol. 1. vers. secunda sententia*, & *resol. 2.*; Respectu ergo Clericorum, Iudex Laicus se habet tamquam privata persona, & penitus incompetens *l. 3. ff. de officio Præsidis*, & in *l. observare* §. ingressum ff. Pro. consul.

consul. l. fin. ff. de officio Praefecti Urbis, ubi glos. in verbo suffere ad medium; Vantius de nullitate tit. de nullit., ex defectu Jurisd. nu. 107. Grassi. dicto effect. primo num. 223., Sperell. decis. 126. nu. 38. Qua propter in c. 1. de off. Ordinarii ex Synodali decreto dicitur, quod Episcopum opus fuerit, publicum, idest seculare convocent auxilium, non ad praedjudicandum, sed potius ad ea, quae Deo sunt placita prosequendum, ubi glos. in Vers. praedjudicandum ait, quia per hoc non acquiritur Jus in praedjudicium Ecclesiae, & in c. qualiter, & quando de Judiciis, Innocent. III. graviter monet Episcopos, ut laicis de Clericis conquerentibus plenam faciant justitiam exhiberi, non obstantibus appellationibus frustratoriis, quas in eorum gravamen Clerici frequenter opponunt, & pro defectu justitiae, Clerici trahantur à Laicis ad Judicem secularem, quod omnino fieri prohibemus in c. placuit 11. quæst. 1., sibi derelicto Ecclesiastico iudicio, vel in Criminali, vel in Civili causa publicis iudiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, vel sit Episcopus, vel Presbyter, Diaconus, seu Clericus, & hoc in Criminali actione, in Civili verò perdat, quod evicit, si quidem ad eligendos Judices, inique de Ecclesia male sentiendo, de iudicio seculari poscit auxilium, cum privatorum causas. Apostol. 1. Corinth. 6. (etiam ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari praecipiat) in c. si quis Clericus ead. xi. quæst. 1. dicitur, si quis Clericus accusans Clericum in Curiam introierit, anathema sit, hoc idem habet in c. Christianis, c. Silvester ead. xi. quæst. 1., quod ad eum verum est, ut neque de consensu Episcopi, possit Laicus esse Judex in causis Clericorum, c. significasti de foro competenti, & comprobatur Farinac. cons. 68. num. 10. p. 4., Morla in Emporio Juris p. 1. tit. 2. de Jurisd. omnium Judicum q. 14. num. 3., Azorius. instit. moral. p. 1. lib. 5. c. 14. quæst. 2. Barbosa in c. qualiter, & quando num. 2. 3. de iudic., ubi Abbas, Bellet. disquisit. Clerical. p. 1. tit. de favore Clericorum personali §. 2. n. 24.

2 Tamen in contrarium videntur plura, quae apud allegatos D.D. videri poterunt, potissimum apud Ansalduum praecitato c. 21. per totum, non enim putavi implere paginas transcribendo eorum dicta, & tacta per Fermosin. in c. qualiter, & quando q. 1. num. 10., & seqq., solum potiora tangam.

3 Primò, quia consuetudine immemorabili introductum esse, videatur in pluribus Regnis, ac Provinciis, ut Laici suppleant defectus, & negligentias Episcoporum per viam inquirunt violentiae, defendendo oppressos, aut neglectos à Judicibus Ecclesiasticis, ad quod allegantur plures à Diana p. 1. tract. 2. resol. 4. 7. 14., & quod saltem in casu particulari consuetudinem valere, ut Clericus subiciatur Laico Judici, affirmant Covaruu. pract. c. 31. sub num. 5. Clar. §. final. quæst. 36. num. 2., Ausrer. de potestate Judicis Laici reg. 1. fal. 12., Decian. tract. Criminal. tom. 1. lib. 4. c. 9. num. 139., & seqq., Farinac. practica Criminal. quæst. 8. sub num. 3. in fine; Carol. de Grassis de effect. Clericatus effect. 1. num. 388., Gratian. discept. Forens. c. 340. num. 39., Cened. Practic. can. qq. lib. 1. q. 4. num. 3., licet alii latius loquantur; eo maxime, quia immemorabilis consuetudo habet vim Pontificii privilegii l. 1. §. denique l. 2. §. apud Vers. plane si fossa ff. de aqua pluvvia. arc., l. hoc Jure §. ductus aquae ff. de aqua quotid., c. super quibusdam §. praeterea, ubi glos. Vers. non extat memoria de verb. signif., Decius cons. 85. num. 2., cons. 117. in fine, Afflic. decis. 254. num. 4.

4 Privilegio autem, & concessione Papa committere potest Judicibus secularibus, certas Clericorum causas, & fori privilegio derogare c. Mennam. 2. quæst. 5. c. nos, & si. 2. quæst. 7., c. illud 10. quæst. 3., c. Verum dist. 22., Abbas in c. litteras num. 13. 14. de restit. spol., Felin. in c. Ecclesia Sanctae Mariae num. 6. Vers., & pro limitatione de constit., & in c. 2. num. 2. 3. de Majoritate, & obed. Cassan. in consuetud. Burgundiae rub. 1. §. 5. Vers. Archidiaconi; Clar. §. final. quæst. 41. nu. 7., Thom. del Bene de immunit. Eccles. c. 1. dub. 15. sec. 5. & c. 5. dub. 14. sect. 2., & pluribus seqq., ubi latè de hac consuetudine, & privilegio concessio per Papam Regibus Hispaniarum, & Galliarum, & de committis dubitatione 4. sec. 19. subsect. 1., & 4., & pluribus seqq., ubi latè rem examinant, & dubitatione 27. sec. 3. per totum, licet Torreblanca de Magia lib. 3. c. 27., postquam plures allegaverit hoc privilegium asserentes, tamen ipse firmius consuetudinem nititur fundare in immutabili jure naturae.

Ex hoc ergo Privilegio, poterit Judex secularis supplere jurisdictionem Ecclesiasticam in casu quo Judex Ecclesiasticus negligat, ex quo fundamento, ita sentire videntur Covaruu.

ruu. pract. qq. c. 35., Jo. Garzias de nobil. glos. 9. num. 48., Salgado de protect. Regia t. 1. c. 1. praelud. 3. num. 139., & seqq.

5 Ratione firmatur, nam alias in partibus ab Urbe distantibus, ut in Galliis, Hispania &c. Clerici, & Laici innocentes violentè opprimerentur à Judicibus Ecclesiasticis, multocius sine remedio, in grave praedjudicium reipubl., pacis, & quietis populorum, quod neque sacri canones permittunt, dum c. 1. de pactis universi dixerunt, pax servetur, pacta custodiantur.

6 Nec repugnat Laico defendere proximum suum à violentiis Clericorum, immò tenetur cum violenter oppressus habeat à Jure tum naturae, tum positivo, & possit in sui defensionem quemlibet proximum invocare, tanto magis Magistratum, aut Judicem, cui vires suppetunt ad defensionem, ut est bonus tex. in c. dilecto §. & quidem cum liceat de sent. excomm. in 6., concordat c. non inferenda, c. fortitudo 23. quæst. 3., quod latius nititur comprobare Salgad. de protect. Regia p. 1. c. 1. praelud. 5. per totum; certum pariter est, quod Episcopo, vel quocumque Judice procedente de facto, vel positivè opprimendo, & violentiam faciendo, vel negativè negligendo, & Jus non reddendo, cum se habeat tamquam particularis homo, & persona privata, eidem de facto resisti potest, ergo tunc licebit recurrere ad Magistratum laicum, qui resistat Judici Ecclesiastico, facienti de facto, l. ut cum ff. de Just., & jure, l. 1. §. cum igitur ff. de vi armata l. sed & partus §. quae ei ff. de eo quod metus causa.

7 Tum quia in c. filiis, vel nepotibus 16. q. 5. Concilium Toletanum 9. c. 1. expressè dicit (Regibus hoc auribus intimare non differat) qui recursus nil aliud importare potest, nisi ut Rex auctoritate sua per se, vel per alium de causa cognoscat, & judicet in Ecclesiasticas personas, ubi glos. in V. Regis addit (ut eum corrigat) ita in c. Petimus xi. quæst. 1. ex Concilio Cartag. approbatum fuit, quod Rector Provinciae Judex Laicus compelleret quemdā Episcopum dimittere plebem, quam invaserat, neque Ecclesiastici Judices, qui aderant, id in injuriam futurum Ecclesiasticorum existimarunt, sed decretum approbarunt.

8 Videntur praedicta firmari in c. Principes seculi 23. quæst. 5., Ubi quod Principes seculi, non nunquam intra Ecclesiam potestatis adeptae culmina tenent, ut per eandem

potestatem disciplinā Ecclesiasticam muniant, ita in c. res autem humanae c. Regum officium, c. administratores eadem 23. quæst. 5., & in c. si quis cum Clerico xi. quæst. 1., ubi ex Concilio dicitur (sin autem noluerit Episcopus litem dirimere, tunc ad civilem Judicem disceptatio causae perveniat.)

9 Verum secundum veritatem, & Justitiam praedicta non debent obstare; nam quo ad privilegium, ex longa consuetudine praesumptum respondit Barbosa in c. Ecclesia S. Mariae de constitut., consuetudinem illam esse meri facti violentiam, omni prorsus Jure, & ratione destitutam, nec deberi, nec posse approbari, & sustineri, ubi num. 14. refert plures D.D. magni nominis, hujusmodi consuetudinem, si est, detestantes, eo quia contra Jus Divinum, & humanum, nam qui est incapax possidendi, est etiam incapax praescribendi, etiam per immemorabilem consuetudinem, sed laicus est incapax possidendi Jus, & jurisdictionem Ecclesiasticam c. causam quae de praescript., ubi Barbosa num. 7. Azor. tom. 1. lib. 5. c. 12. quæst. 1. §. sed dubitari, Thom. de Bene de committis dubit. 4. sect. 19. subsec. 1. n. 4., idè sequitur etiam incapacitas praescribendi, & aquirendi vim privilegii, praescriptio enim, sine possessione, non fit; Sperell. decis. 2. num. 126., quapropter talem consuetudinem pluribus allegatis, impugnat Diana p. 1. tract. 2. resol. 4. Vers., sed bis non obstantibus, & Vers. sequenti post medium, respondit ad auctoritatem Covaruu. contrarium sentientis, & resol. 5., quod in tali consuetudine non possit praesumi tacitus consensus summi Pontificis.

10 Ad argumentum Salgadi, quod forsan est commune eorum, qui apud Gallos, aliasque partes conantur sustinere hanc consuetudinem, scilicet licere Magistratibus defendere quoscumque oppressos à Clericis, id posse admitti de defensione, quae Jure naturae competit, juxta l. ut vim ff. de Just., & Jure, quae tunc licita esse dignoscitur, quando fit salvo moderamine inculpatae tutelae, alioquin excedit fines Justae defensionis, haec ergo Laici Magistratus defensio, si oppressum defendat donec recursum habeat ad Superiorem, putà ad Archiepiscopum, Primate, Legatum, seu Nuntium Apostolicum, vel Pontificem, laudabilis erit, vel si daretur, (quod tamen moraliter videtur impossibile), quod nullus Judex Ecclesiasticus vellet oppressum audire

audire, tunc iusta esset defensio, ad tradita per Thom. del Bene de comitiis dub. 4. sec. 19. subsec. 1. nu. 7., at si defensio trahat partes ad iudicia Laicalia, ibique cogantur sustinere sententiam, tunc non est defensio salvo moderamine inculpatæ tutelæ, sed iniusta usurpatio alienæ jurisdictionis, & violenta iustitiæ oppressio, hinc est, quod Salgadus loco supra citato, aliique apud ipsum, licet concedant hanc defensionem esse iustam, tamen dicunt pariter intelligendam esse extrajudicalem, & de facto, Torreblanca de Magia lib. 3. c. 27. num. 8., nec aliter sustineri, quod etiam deducitur ex c. 14. Bullæ cenæ, ubi excommunicantur Magistratus, & Judices Laici, qui quoquomodo se interponunt in causis ad Judices Ecclesiasticos spectantibus, tamquam Judices, quæ dictio tamquam Judices limitat dispositionem, ubi si se interponunt, sed non tamquam Judices, sunt ab ea excommunicatione immunes, posse tamen declarare commissam esse violentiam ab Ecclesiastico, dicit Torreblanca loco supra citato num. 29. post plures allegatos, quem videas, Salgad. de Regia protect. p. 1. c. 3., in quo sensu intelliguntur omnia jura concedentia, quod contra Clericos, advocentur etiam Laici ad defensionem, semper scilicet salvo moderamine inculpatæ tutelæ, & ad resistendum contra facientem de facto, quam defensionem licere, etiam Romana Rota pluries coram Seraphino, Blancheto, Pegna firmavit, ex allegatis per Torreblancam de Magia lib. 3. c. 27. sub num. 34. Vers. ad tertium, & seqq., & apud Salgad. de protect. Regia p. 1. c. 1. præludio 5. à n. 272., & seqq., quam tamen defensionem extrajudicalem reprobatur del Bene d. sec. 19. subsecut. 3. num. 2., nam in praxi, ista defensio non est extrajudicialis, & sine cognitione, nam Laicus Magistratus, tunc videt acta, processus, & fert sententiam, condemnat in expensis, &c.

11 Ad tex. in c. filiis, vel nepotibus, ubi quod data Episcoporum negligentia, adeundus sit Rex intellige, non ut ipse iudicet, sed ut Episcopos moneat, & auctoritate sua moveat ad tollendam negligentiam, ad Jus reddendum; Maria verò de Jurisd. p. 4. centur. 2. casu 43. num. 4. intelligit hunc textum habere locum, quando ex privilegio Papæ, Jus patronatus Ecclesiæ, & beneficii, spectat ad Regem, sicuti collatio, & institutio, quam sententiam videtur approbare Duard. in bulla cenæ

lib. 4. can. 14. quæst. 8. num. 8., ubi etiam hunc textum habere locum, quando Rector beneficii cogi non potest per Judicem Ecclesiasticum, ad reparandam Ecclesiam, dum minatur ruinam, ita ut non sit tempus recursus ad Papam, vel ut Azorius loco supra citato, & plures apud Barbosam in præcitato c. Ecclesia Sanctæ Mariæ nu. 15. de constit., dicunt antiquiores canones, sicuti istum fuisse sublato per Innocent. III. in c. qualiter, & quando de Judic., sicuti sublato est c. si quis cum Clerico xi. quæst. 1., aliique similibus loquutionis, Thom. del Bene de comitiis dubit. 4. sec. 19. subsec. 1. num. 6., nec mirum videri debet, ut notat Azorius si antiquitus multa, aut permittentur, quæ postea fuerunt sublata, nam etiam antiquitus Imperatores, Papam electum, confirmabant, & tamen certum est, quod Laico Magistratui nullum Jus competat, aut competere potuerit in electione summi Pontificis, hoc autem contingebat de facto, propter præpotentiam Principis Laici, at ubi Ecclesia roborata est, & excussit jugum Deo donante, quo à tanto tempore opprimebatur, ita & sustulit ea, quæ illicitè, & iniuste Laicis videbantur permittenda in præjudicium Ecclesiasticæ jurisdictionis, ad evitanda graviora mala; Sperell. decis. 126. num. 81. per tex. in c. Valentinianus dist. 63., Pesant. de immunit. Eccles. disp. 16., Filiuc. tom. 1. tract. 16. c. 10. num. 263., Bonacina de legibus d. 10. quæst. 2. p. 1. §. 1. num. 12., Salas de legibus quæst. 96. tract. 14. d. 14. c. 19. num. 109., & post alios Barboza in eod. c. filiis, vel nepotibus num. 6. ad finem, Tusc. in Vers. negligentia concl. 35. sub nu. 14., Thom. del Bene de immunit. c. 3. dubit. 8. sec. 4. num. 1., pluresque allegati per Dianam p. 1. tract. 2. resolut. 15. per totum.

12 Qua propter Concilium Trid. sess. 25. c. 3. de reform. hæc decernit (Nefas autem sit seculari, cuilibet Magistratui, prohibere Ecclesiasticum Judicem, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, etiã sub prætextu quod contenta in hoc decreto non sint observata, cum non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos, hæc cognitio pertineat), hinc est, quod vetitum est Clericis, recurrere ad Magistratus, ac Judices Laicos, sub excommunicatione, ipso Jure incurrenda in Bulla cenæ c. 16., ad quod tamen respondent Galli, Bullam cenæ in iis Regnis, vel non esse publicatam, vel non esse acceptatam, quam responsionem impugnat Thom. del Bene de immunit., & jurisd.

& jurisd. Ecclesiastica c. 3. dubit. 8. sec. 4. num. 2., sed eam probabilem sententiam, scilicet quod Bulla, quæ non sit usu recepta, non obliget in conscientia, dicunt Beccanus 2. 2. c. 15. q. 2. num. 6., ubi testatur, quod in multis Germaniæ partibus Bulla cenæ non sit usu recepta, & p. 2. tract. 3. c. 6. quæst. 8. num. 4. Azor. p. 1. lib. 5. c. 4. quæst. 1., Putean. in p. 2. D. Thomæ quæst. 11. art. 4. dub. 2., Filiuc. tom. 1. tract. 11. c. 1. quæst. 5. num. 11., Valerius de differentiis utriusque fori V. peccatum diser. 30. n. 3., Megala in 2. 2. lib. 2. c. 1. p. 6. quæst. 3. n. 115., & 117., Bonacina de legibus disp. 1. q. 1. p. 4. num. 39., Villalobos tom. 1. tract. 2. dub. 16., contraria tamen sententia communior, & firmior est, quam docet Suarez de legibus lib. 13. c. 19. num. 8.

13 Nituntur etiam Regii ministri firmare consuetudinem prædictam ex eo, quia nota Summo Pontifici, nec damnata, sed tolerata

14 Respondit tamen del Bene de comitiis c. 3. dubit. 4. sec. 19. subsec. 4. num. 14., quod tolerantia non est approbativa, sed tantum permissiva, ad evitanda graviora mala, & incommoda.

15 Responsiones ergo allatæ c. filiis, vel nepotibus aptantur cæteris testibus incontrarium adductis, quod scilicet sint sublato per c. qualiter, & quando de Judiciis, vel quod intelligantur de recurso extrajudiciali ad laicum magistratum, & ut Ecclesiam potentia sua defendat, robore muniat, Episcopos, & Judices Ecclesiasticos moneat, non verò, ut Ecclesiasticæ jurisdictioni præjudicet, sic c. si quis Præbiter de Clerico excommunicato c. Principes seculi, c. Regum officium 23. quæst. 5. bene explicant, quod Princeps Laici invocati in auxilium ab Episcopo, debeant auxilium ferre, quod non importat negligentiam supplere, aut jurisdictionem usurpare.

ARTICULUS XIX.

An saltem Judex Laicus suppleat Negligentiam Judicis Ecclesiastici in realibus.



IN præcedenti articulo locuti sumus de supplenda negligentia in personalibus, idest in Judiciis, quibus Clerici, & quælibet persona Ecclesiastica, vel in causa criminali, vel alia causa venit in iudicium, sed quid si non persona, sed res Ecclesiasticorum essent sub Judice, ut in causa civili, an tunc Judex Laicus suppleat negligentiam Judicis Ecclesiastici.

1 Plures fuerunt in sententia, quod suppleat, sic Hostiensis in summa de foro compet. §. liquet etiam num. 12. Vers., sed nunquit Judex secularis; Marian. Soccin. in c. si quis Clericus n. 28., & in cap. sanè de foro compet. num. 10., pro qua sententia faciunt c. qualiter, & quando de Judiciis, c. quod Clericis; c. si diligenti de foro compet. qui tex. videntur prohibere solū, quo ad iudicia personalia; Tum quia Clerici reconveniuntur coram Laico, ad latè tradita per Barbosam in c. 1. de mutuis petitionibus num. 11., Ambrosin. de immunit. Eccles. c. 20. num. 36., Carolus de Grassis de effectibus Cleric. eff.

1. num. 748., tum quia ex commissione Episcopi, Laicus potest cognoscere causas civiles Clericorum temporales, ad tradita per Sperell. decis. 126. num. 43., tum quia immunitas bonorum non est de Jure Divino; Ansaldo de jurisd. p. 5. tit. 3. c. 3. num. 10., sicuti immunitas personarum, quare non repugnat, quod hæc jurisdictione in realibus competat laicis iudicibus, & plura asserit Peguera decis. 56. num. 18. in fine.

2 Verum tenenda est sententia Abbatis in c. qualiter, & quando num. 8. de judic., quod scilicet Judex Laicus, neque in realibus suppleat negligentiam Judicis Ecclesiastici. Sperell. decis. 8. num. 53., ubi quod adversa sententia omninò sacris canonibus adversetur, & Clarius decis. 126. num. 58., ubi adversam sententiam declamat, omninò improbabilem, & quod Aufrer. sit. temerè locutus cum aliis ibi allegatis, licet Farinac. q. 8. num. 23. in causa possessorii, tamquam merè facti laicum Judicem in causa Clericorum dicat competentem, & ita praticari, quo etiam dato,